

verit Deoque gratias egerit. Si quid est, quod parvi aestimamus, sanitas est, quia cum ea ut plurimum nobis adsit, vilipenditur, sicut et omnia beneficia quotidiana et ordinaria : interim tamen nihil homini optatius est. Quid enim in mundo jucundum est absque sanitate? Ut igitur hoc beneficium agnoscamus quantum sit, et unde sit et quod gratuitum sit adeoque continua gratiarum actione dignum, quandoque nobis eripitur. Tunc dicunt ægri : O quam suave est bene valere! O quam præclarum donum sanitas! O quam deberent Deo gratias agere, qui fruuntur tanto bono! O si vel ad octiduum sanus essem! Sane Ezechias rex accepto nuntio mortis flevit valde et sanitate recuperata gratias egit Deo, ut Isa. XXXVIII. patet, quod tamen antea non legitur fecisse.

Tertio, Dei justitiam, quam merito scilicet a Deo puniantur in membris, quibus peccaverunt. Sic agnovit Antiochus ille I. Macch. VI. se propter scelera sua, quæ commisit in templum Jerosolymitanum, affligi doloribus acerbissimis. Multi juvenes totos annos in peccatis transigunt : monentur a parentibus et præceptoribus, ne Deum ad iracundiam provocent, utpote hanc vitam eorum tam dissolutam non diu toleraturum. Sed frustra ista dicuntur : non capiunt, non intelligunt. Quid igitur? Adhibet eis commentaria Deus, ardentem immittit febrim, ut sic recordentur eorum, quæ illis prædicta fuerunt; tunc denique dicunt : O quam sæpe mihi ista dicebantur quoties monitus fuit! Jam intelligo et damno meo experior verissima esse quæ dicebantur : *Justus igitur es Domine.*

VI. Suave carnis ergastulum est, eam spiritui subjiciens et ad officium reducens. Etenim caro quasi rebellis tibi subditus est, gladium semper in te stringit, perpetuo a te exigit quæ tandem te ad interitum trahent et extremam miseriam redigent. Ægritudo hæc omnia ei prohibet, imo ea tibi subjicit, et quæ prius te oppugnaverant, ad partes tuas transire facit, ut spiritum in bono adjuvet, tunc enim et ipsa jejunare et vigilare discit, tunc orat, eleemosynas elargitur, et ex necessitate patiendi virtutem facit : sicque fit ut spiritus carne adjunctus fortius pugnet et facilius vincat mundum et dæmonem, utpote duo contra duos; qui prius unus contra tres certabat. Hinc verum esse apparet, quod Paulus dixit II. Cor. XII. *Cum infirmor, tunc potens sum.* In quæ verba S. Bern. ait : *Quid mirum, si hoste debilitato fortior efficiaris?* Eam ob causam S. Petrus filiam Petronillam ægram, rogatu aliquorum curavit quidem, sed mox ad lectum redire jussit atque ægritudinem pristinam, quod hoc ei prodesset

ad conservandam virginitatem. Dicebat enim : *Sic expedit ei.*

VII. Est nuntius mortis, qualis Isaias propheta missus Ezechie regi, monens ut disponderet domui suæ, IV. Reg. XX. Magnum foret beneficium, si certo tempore præmoneremur de instante morte : quo nos dispondere possemus. Sic enim pro magno agnoscunt beneficio Budicense et Amorensis monasterium, de quibus alibi diximus, quod certa quædam campanula ultro sonitum edat, cum aliquis e monasterio mortem est obiturus. Atqui ejusmodi campanula et legatus est ægritudo, tametsi non infallibilis, semper tamen timendus et salutaris. Audi S. Greg. hom. XIII. in evang. « Pulsat Dominus, cum jam per ægritudinis molestias mortem vicinam esse designat. » Quid? Annon advertimus in ægrotis, pulsum arteriarum variari et accelerari : cor fortius palpitare quam alias? Quid hoc sibi vult, nisi quod instar campanæ tumultuariæ fortiter pulsata nos periculi nostri admonet et hostes vitæ nostros, corpus invasisse indicat? Ac siquidem morbus invalescat cogita Deum jam peremptorie te citare. Quid igitur tunc consilii? Quod Dominus consuluit, Matth. V. « Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo : ne forte tradat te adversarius judicis et judex tradet te ministro, et in carcerem mittaris. » Adversarius iste secundum D. Athan. q. LXII. syndæresis et conscientia est, tua quæ te ad judicem trahit; cum graviter ægrotas, accusatura te coram Deo. Da operam igitur ut dum adhuc spiras, ejus postulatis consentias, cum penitus acquiescat, sicque ab ea libereris, ne incidas in Dei manus et in carcerem mittaris perpetuæ damnationis.

CONCIO VI.

SOLATIA AGRORUM.

I. Cogita non fieri tibi injuriam. — II. Ægritudinem tibi utilem et quandoque necessariam esse. — III. Parum esse quod sustines. — IV. Deum velle ut patiaris. — V. Deum aspiciere certamen tuum. — VI. Manere te vitam meliorem. — VII. Daturum tibi Deum patientiam.

THEMA.

Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis. Matth. IX.

Mirum quid de hæmorrhœissa scribit Eusebius, lib. VII. hist. cap. XIV. repertam videlicet in Cæsarea Philippi (inde enim oriundam fuisse) ante fores domus ejus æneam imaginem mulieris

prostratæ ad pedes Christi, præterea ad imaginis ejus pedem enasci solitam herbam inusitam, quæ ubi ad fimbriam vestitus Christi crevisset, vim medicandi habuerit variis morbis. Ego si huic herbæ nomen dare auderem, dicerem fuisse patientiam, qua mediante pertulit bona mulier gravissimam infirmitatem totis duodecim annis, quoad nimirum Christi fimbriam tetigit. Magnæ virtutis herbula profecto est patientia; sed interim satis inusitata, nec crescit in omnium hortulis. Quid igitur obesset, si hanc unusquisque nostrum plantaret in hortulo cordis sui? Dicit aliquis : *Non opus habent sani medico* seu malagmate; ægrotis et afflictis hæc de re concionandum est : sed quid si ægrotemus aliquando et nos? Nonne multi in hortis suis plantant herbas medicas : vel emunt medicamenta a circumforaneis medicastri : vel parant sibi domi suæ varia electuaria etiam cum sani sunt, ut habeant quibus utantur aliquando infirmi? Quam multi secum gerunt semper pyxidem variis balsami odoribus instructam pro occurrentibus animi deliquis? Hujusmodi ergo pyxidem hodie vobis expediā, in qua reperietis plura ægrorum solatia et confortamenta.

I. Non fit tibi injuria, quia commeruisti hos et plures alios eosque acriores dolores, et bene tecum agitur, si tibi in hac vita rationes subducatur Deus. Scimus ex evangelio causam ægritudinis sæpe esse peccata. Ita enim paralyticum illum, priusquam Dominus sanet absolvit a peccatis, Matth. IX. instar boni videlicet medici, qui prius morbi causam tollit, morbum sublaturus. Sic et alteri paralytico, sanato ad piscinam, Jo. V. dixit : *Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Dic igitur, quisquis es cum Michæa, c. VII. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei donec causam meam judicet et faciat judicium, educet me in lucem; videbo injustitiam ejus.* In quæ verba S. Basilius, in regulis, interrog. LV. ait : « Morbi sæpe peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi ut vitam in melius commutemus. Quare qui ejusmodi sunt, hi omissis medicorum auxiliis, invecas sibi acerbitates ferre silentio debent, quandocumque se peccasse animadverterint, atque illum imitari qui dixit : *Iram Domini portabo quoniam peccavi ei : necnon vitæ suæ prava studia emendare et dignos poenitentiae fructus edere.* » Quod si nunc justitiam Dei non agnoscis, agnosces tamen ibi, cum educet te in lucem. Tantum igitur abest, uti inique nobiscum agatur, cum per morbos castigamur : ut etiam misericorditer et paterne. Spes enim est, velle Deum in hac vita animadvertere in peccata nos-

tra, ut parcat nobis in altera. Solatium hoc expressit David, quando dixit : *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt,* Ps. XXII. Sugerunt enim animo tuo Deum non puniturum bis in idipsum.

II. Ægritudo tibi utilis et quandoque necessaria est. Nam primo, te ad Deum ire compellit. Sane princeps hodierni evangelii ad Christum nunquam venisset, multo minus ad ejus pedes accidisset, nisi filiæ infirmitas compulisset. Similiter et mulier, si vel sana semper, vel a medicis adjuta fuisset, Christum tangere non quævisset, adeoque nec agnovisset. Ut ergo equus indomitus et effrænis, injecto fræno coercetur et reducitur ad dominum suum : ita refractarius homo per ægritudinem ad Deum. Patet in Manasse et Achab regibus.

Secundo, continet te in gratia et timore Dei. Videtur quidem avicula moleste ferre inclusionem suam dum perpetuo eluctari conatur et exitum disquirat : sed interim dum in cavea est, ab hero suo amatur et alitur, et ab aliis periculis libera est. Quis libere errantem ab aucupis visco et laqueo, vel accipitris ungue securam dicat? Eadem cum infirmo ratio. Captivus enim Dei est, ab eo fugere nequit, a plurimis peccandi periculis securus est.

Tertio, continet te in humilitate, qui alioquin æneum te aut immortalem reputares. Ob hanc immissa est ægritudo a Deo regi Ezechie, Isa. XXXVIII. ut ne insolesceret de ingenti victoria contra Sennacherib, sibi promissa et obtinenda, ut docet S. Hieronymus et alii eo loco. Agnovit hoc et Antigonus rex, qui ubi a gravi morbo convaluit : *Hic morbus, inquit, submonuit nos, ne animo efferamur, cum simus mortales,* Plut. in apophtheg. Anaxarchus item Alexandrum M. ridebat, quod cum Deus haberi vellet interim tamen æger potionem a medico sumeret : *Nostro deo, inquit, omnis spes in sorbitione patellæ posita est,* Ælian. I. VIII.

Quarto, purgat a vitis animam tuam; facit enim ut inquiras in tuam conscientiam, quod prius obiter tantum faciebas : et ita agnoscas defectus et peccata tua. Qui in tenebris vulneratur producitur in lucem, ut sanari a chirurgo possit. Multa peccasti in tenebris, multa in te agnoscis vitia occulta : ideo Deus illa in corpus tuum educit, ut ex corporis vulneribus agnoscas vulnera animæ. Testatur experientia nullam fere confessionem fieri tanta humilitate, sinceritate, promptitudine, etc. ac quæ fit ab infirmis. Sæpe igitur hoc nitrum, hæc fullonum herba, de quibus Jerem. II. quæque maculas vestium corporumque abolent, peccatoribus necessaria

sunt. quo videlicet aliquando, saltem timore mortis compulsi sincere confiteantur et poenitent. Hinc abbas Joannes, in vitis patrum monacho febricitanti, qui ab eo sibi sanitatem impetrari postulabat, respondit: « Rem tibi necessariam cupis abjicere: ut enim corpora nitro abluuntur a sordibus, ita animæ languoribus aliisque hujusmodi castigationibus purificantur. » Est ergo morbus ægroti quasi prævium quoddam et tumultuarium examen, quo virtus ejus probatur: et si in isto bene stetit, bene etiam sperare de altero potest. « Tria, inquit Ausonius, commendatione non indigent, ut probentur vel improbentur: sapiens oratio cum profertur: bonum vinum cum bibitur: vir bonus in calamitatibus. »

III. Parum est quod sustines, plus alii tolerant etiamnum. Quid enim commemerunt ss. viri continuis doloribus afflicti, Paulus, Gregorius Magnus, Franciscus, Lydwina, etc. Quid innocens ille Job? Etenim vir tam celestis, tam opulentus, tam sanus paulo ante, repente omnia perdit, toto corpore exulceratur, sedet in sterquilino et testa saniem radit. Quid commemerunt ss. martyres tot exquisitissimis tormentis excarnificati? Hinc Polemon socius B. Paconii cum doloribus plenis graviter affligeretur et proinde moneretur a fratribus ut sibi aliquid remedium impendi pateretur, respondit: « Si martyres Christi, alii per frusta lacerati, alii capite plexi, alii ignibus cremati sunt et tamen usque in finem fortiter pro fide toleraverunt, cur ego patientiæ præmia parvis cedens doloribus impatienter abjiciam? » Quid passim in toto orbe patiuntur captivi, naufragi, mancipia christiana apud Turcas? Denique, vix dubitare potes (nisi ab omni culpa lethali liberam semper vitam duxeris) multos esse apud inferos, qui gravius non peccarunt quam tu, imo sæpe levius. Illi igitur æternum luent in gehenna, quod tu suavi medicamine expiare grave ducis? Huc forsitan repperit Deus, cum dixit ad Job, c. XL. *Memento belli, nec ultra adda loqui.* Memento belli, quod cum reprobis gerit demon, præsertim in inferno, et tace dolores et flagella tua, quia nihil sunt respectu cruciatuum et scorpionum, quibus eos in gehenna cædit demon. Verum super omnia solari debet ægrum passio Christi, quæ omnis generis amaritudines, quas cumque æger aliquis sentire potest, quasi in uno cratera continet. Sitis te affligit? Cogita sitim Christi in cruce longe acerbior. Lectuli durities? At lectulus Christi crux, quanto tuo durior? Male coopertus es? Vide nudatum Christum. Nullo te movere membro aut vertere in

latus potes? Et quid Christus? Nonne cruci affixus? Quod membrum vertere poterat? Potiones medicas fastidio habes: *Recordare fellis et absinthii ejus.*

IV. Deus vult te pati; si enim passer non cadit in terram sine Dei voluntate, quanto minus tu? Et si omnes capilli capitis tui numerati sunt a Deo (Matth. X.) tuam ægritudinem Deus nesciet? Quare a Deo est, Deoque curæ est morbus tuus; ne igitur ei contradicas, sed potius gratias agas. Primo, quia frustra ei obsistes. Decreta est a Deo tua ægritudo, sicut cursus siderum et si hunc retrahere aut invertere potes, poteris etiam ægritudinem tuam contra Dei voluntatem. Propterea Ezechiae dedit Deus signum recuperandæ sanitatis, reversionem solis et umbrae in horologio per decem gradus, IV. Reg. XX. Sicut ergo frustra obniteris cursui solis, ita et divinæ voluntati.

Secundo, quia: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus?* ait Job, c. H. Bibisti prius mulsum dum sanus esses; bibe nunc absinthium, ut vel hinc intelligas, quam suavis fuerit sanitas. Pro utroque medicamine; et pro dulci et pro amaro, medico gratias agimus, quia utrumque expediens nobis: cur non igitur et Deo pro morbo et sanitate similiter gratias agimus, qui utrumque nobis providit medicamentum ad salutem?

Tertio, Deus vult justissime et ad tuum commodum, in quemcumque tandem finem immiserit tibi morbum. Piscantibus in mari discipulis apparuit aliquando Christus post suam resurrectionem, sed a nemine eorum agnitus fuit præterquam a Joanne, qui dicebat: *Dominus est,* Joan. XXI. Ita nimirum plerique in rerum turbatarum fluctibus non agnoscunt Dominum, turbati maris auctorem; soli Dei amici et quasi intimi noverunt. Scias igitur Dominum esse, qui tibi procellam hanc immisit. Quod si Dominus est, non inique tecum agit. Quid enim dixit Heli sacerdos, cum Samuel enarravit vindictam a Deo decretam ob nimiam erga filios indulgentiam: *Dominus est,* inquit, *quod bonum est in oculis suis faciat,* I. Reg. III. q. d. ingrata quidem mihi narrasti, sed quando liquet de divina voluntate, paratus sum ad excipiendam Dei justissimam virgam. D. Cyprianus recitata in se e tabella mortis sententia: *Thascium Cyprianum gladio animadverti placet, dixit: Deo gratias,* Baron. an. 261. Cogita et certus esto tuam ægritudinem tibi a justissimo Deo decretam Deo placuisse sic in te animalvertere: itaque gratias age. S. Gregorii sententia est: *Mitigat vim doloris considerata æquitas ferientis.* Intellexit hoc B.

Servolus, tota pene vita miser et paralyticus uti et B. Clara continuis viginti octo annis morbo intabescens, quorum ea vox assidua fuit: *Deo gratias.*

V. Deus inspicit certamen tuum et ultimam præsertim luctam. Spectaculum factus es mundo, Deo, angelis et hominibus. Deus tibi coronam porrigit; angeli vires addunt; homines spectant, applaudunt, mirantur, laudant, ædificantur, ubi te heroem præstiteris. Ad præclaram musicorum harmoniam conveniunt ex urbe primores: ad musicam patientiæ eum divina voluntate belle consonantem, conveniunt cæli cives. Quare S. Aug. in Psalm. XLII. ait patientiam esse citharam, tribulationes esse chordas, quæ dum pulsantur, melodiam edunt. Pari enim modo suavem melodiam in Dei et sanctorum auribus edit patientia, dum in tribulationibus atque morbis laudat Deum, eique gratias agit: *Omnis enim patientia,* inquit, *dulcis est Deo: si autem in ipsis tribulationibus defeceris, citharam fregit.* Alexander M. cum sacrificaret et pueri nobilissimi ei ministrarent, uni eorum carbonis ardens in brachium delapsus est. Puer vero, licet odor aduste carnis ad circumstantium nare perveniret, pressit ac dissimulavit dolorem, ne sacrificium regis concusso thuribulo aut edito gemitu turbaret. Quo spectaculo Alexander mire delectatus, visa pueri patientia, consulto sacrificavit diutius, Val. Max. I. III. c. III. Quis dubitat multo magis placitum Deo et celestibus, qui dum uritur infirmitate, dolorem fortiter premit, et ne gemitum quidem edit impatientiæ similem, ne Deo oculos auresve offendant? Et propterea haud dubie qui tam strenue pati norunt, sæpe in ægritudine diutius detinentur, quam ii, qui non norunt, ut sua fortitudine bellum Deo spectaculum præbeant.

VI. Spera vitam meliorem, brevi obtinendam. hæc sit anchora tua, in cælo fixa, dum jactaris dolorum procellis. Nulli dies minus quieti, quam qui quietem præcedunt; minus festi, quam qui festivos præcedunt. Sanctam etiam illam hebdomadam moestitia passionis Dominicæ, jejuniis et laboribus plenam, lætissima pascha sequitur. Morbus tuus parascève est (preparatio ad sequens festum) quæ cito transibit in æternum pascha. Unam hebdomadem lugubrem seu pœnosam, ut vocant, octo consequuntur paschales, lætitiâ spirantes. Anno 1590. in Austria inferiore latro quidem multis cædibus insignis in rotam actus est crucibus tantum fractis, in exemplum aliorum. Qui se virum præstitit, imo et concionatorem ex ipsa rota. Quidquid enim dixit, patientiam spirabat et poenitentiam; sed et gratias Deo egit, qui ita castigaret, ut interim

etiam pœneret. In illo tormento, quod ultra triduum putabatur duraturum, alterutrum orabat, vel maturitatem obitus ad finiendos dolores, vel imbris opportunitatem ad mitigandos æstus et sitim; utrumque vero obtinuit. Nam sub occasum solis copiosa defluxit pluvia, et ipse paulo post poena simul et vita defunctus est. Refert p. Jeremias Drexelius, in prodromo ætern. c. II. § XXII. Habes et tu ægrote rotam tuam, lectulum doloris, cui velut rotæ implexus es. Virum igitur et tu te præsta, et consolare duplici ea spe; quod videlicet dolores tui brevi finiendi sint; et quod eos exantlatos celestis gloriæ imber, imo torrens voluptatis divinæ secuturus sit, siti tuæ æternum restinguendæ. Pulchre S. Augustinus, in Ps. LII. ait: *Quo pungeris, inde nascitur rosa, qua coroneris.*

VII. Dabit tibi Deus patientiam, qui dedit infirmitatem. Hoc solatio fretus S. Dominicus objurgavit aliquando socium, a quo monitus erat quod rogaret Deum pro dolorum solito graviorum remissione; aiebat enim: « Nisi de tua simplicitate mihi constaret, te protinus hinc expellerem, quod hæc dicere non sis veritus: » et mox in nudam humum se abiciens: « Gratias, tibi ago mi amantissime Deus, pro his quæ mihi dedisti perferenda. Auge dolores, multiplicata cruciatus, da centum morbos: dabis etiam sat scio, simul patientiam. » Refertur in chron. S. Dominici, c. II. § XLV.

Igitur, auditores, plantent sibi unusquisque herbam istam in corde suo, ut cum ea in lethali ægritudine vicina fuerit Christo adventanti iudici nostro, vim suam maxime exerat, omnesque morbi dolores superet ac vincat.

CONCIO VII.

EXPLICANTUR CÆREMONIÆ QUÆ DEFUNCTIS ADHIBENTUR.

I. Non prohibentur hic cæremoniæ nostræ funebres: 1. Ante elationem claudantur olim oculi defuncti. 2. Lavatur a quibusdam corpus. 3. Ungitur et conditur aliquando. 4. Vestitur. 5. Feretro includitur. 6. Feretro imponitur velamentum. 7. Vigilatur in psalmis ad corpus. — II. In deductione faneris: 1. Exponebatur corpus in publico. 2. Vestitus lugubris sumitur. 3. Crux præfertur. 4. Gestantur cerei. 5. Psalmi accinuntur. 6. Campanæ pulsantur. 7. Turba funus comitatur. — III. Post deductionem: 1. Thurificatur corpus et aspergitur. 2. Sepelitur supinum. 3. Terra ei injicitur. 4. Tumulus erigitur. 5. Tumulus floribus respergitur. 6. Crux in tumulo figitur. 7. Oratio funebri adhibetur aliquibus. 8. Exequiæ defunctorum habentur.

THEMA.

Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Matth. IX.

Videbuntur forte alicui prædicta evangelii

verba pugnare contra nos, qui in funeribus Christianorum varios adhibemus ritus; siquidem tibicines qui more apud Judæos recepto mortuam plangebant, recedere jussit Dominus. Pari igitur ratione, dicet aliquis, facessere jussit nostras cæremonias, quibus utimur in funeribus. Sed non est, quod hoc cuiquam scrupulum moveat. Voluit enim Dominus hac tibicinum rejectione significare, puellam resuscitandam esse, adeoque frustra occini ei nánias. Deinde, ritus nostri, quos funeribus adhibemus multum sane differunt a luctu illo tibicinum. Etenim nostrarum exequiarum pompæ, ut advertit S. Augustinus, lib. I. de civit. partim subsidia sunt defunctorum, dum admonent viventes ut subveniant defunctis, dumque preces et pia propria vota continent: partim solatia vivorum, dum per eas viventium dolor de amicorum morte mitigatur: dum fides resurrectionis adfruitur: dum cernitur bonis Christianis etiam eam defuncti sunt suos deferri honores. Nihil horum faciebat tibia illa lugubris; merito itaque conticere jussa est: noster vero luctus jure in Ecclesia retinetur. Quod ut accuratius perspiciamus, singulorum rituum significata persurremus.

I. Ante funeris elationem primo cum quis animam edidisset, olim amicorum aliquis oculos ejus clauderat, ut testatur Dion. Alex. in epist. ad Eus. l. VII. hist. c. XVII. Idemque fecisse se matri scribit S. Augustinus, lib. IX. confess. cap. XII. Primo, ad arcendum horrorem: secundo, ad indicandum defuncti somnum; dormit enim suo tempore evigilaturus ad vitam: inde cœmeteria, id est, dormitoria dicta.

Secundo, lavatur corpus defuncti, ut fit adhuc in Italia et alibi. Sic lota Tabitha mortua, Actor. IX. sic S. Udalrici episcopi Augustani corpus, cum ad lavandum more solito denudatum fuisset, suavi odoris fragrantia nares omnium replevit, auctor anonymus et Berno, in vita ejus. Fit autem hoc primo, ut animæ justæ tabernaculo aliquando ad gloriam resuscitando suos honor habeatur: secundo, ut hoc ritu precantur animæ defuncti talem emundationem a reatibus, beneficio sanguinis Christi, qualem ipsi lavantes impertiunt corpori, dum mundant id a sordibus.

Tertio, ungitur et conditur myrrha et aromatibus. Quod quidem Judæis, solemne erat: olim item Christianis fiebat, teste S. Greg. in cap. I. Cant. nunc fere magnatibus tantum fit. Primo, ut corpora diutius a corruptione præserventur, tamquam animarum Christi sanguine redemptarum habitacula, brevi iterum suscitanda: se-

cundo, ut indicetur defunctos fuisse Christianos seu unctos, adeoque templa Spiritui s. sacrata.

Quarto, vestitur corpus, vel solo linteamine, vel etiam vestibus instar viventium et quidem ornatis. Ratio primæ consuetudinis videtur esse, ut hoc ritu revocemus in memoriam innocentiam baptismalem, in cujus indicium alba item togula fuimus induti; et ut moneamur, conandum esse ut cum eadem innocentie veste vita excedamus. Ratio secundæ ut sic honoremus corpus defuncti et precemur ejus animæ similem ornatum, cum quo velut cum veste nuptiali appareat in conspectu Dei.

Quinto, tumbæ seu feretro ligneo includitur. Et hoc in fidem resurrectionis, in qua ligna arida reflorescent ad instar virgæ Aaronis. Palmes enim abscissus et in terram defossus, reflorescit. Indicat id Ambr. in c. VII. Lucæ, de filio viduæ resuscitato loquens: « Sed spem, inquit, resurgendi habebat: quia ferebatur in ligno. Quod etsi nobis ante non proderat: tamen posteaquam Jesus id tetigit, proficere cœpit ad vitam: ut esset indicio salutem populo per crucis patibulum refundendam. » Sic ille.

Sexto, super feretrum ponitur sericum vel aliud pulchrum velamentum, ut Hier. de obitu Blesillæ ad Paulam refert. Fortè ut indicetur, defunctum bonis operibus adornatum esse debere, adeoque regnum cœlorum non titulo tantum hæreditatis, sed etiam meriti adipisci.

Septimo, nocte funus præcedente, vigilatum olim in psalmis et hymnis juxta defunctum. Unde vigilie mortuorum juxta Greg. Nyssen. episcop. ad Olymp. Factum id primo, ad solatium et subsidium defunctorum. Tertull. l. de anima, c. LI. refert se novisse feminam quamdam, quæ cum in pace dormisset et morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur, ad primum habitum orationis manus a lateribus dimotas in habitum supplicem conformavit, rursusque finitis precibus, situi suo reddidit: secundo, in admonitionem viventium, ut sibi vigilarent, qui notum vel amicum insperato perdissent. Aristotelem refert Sabel. l. II. cum forte nocturnis lucubrationibus fatigatus somno se daret, pilam æneam manu comprehensam super ahenum tenuisse, ut si forte e manu caderet ejus strepitu expergisceretur. Ad eundem modum cum amici et fratres nostri, quos velut res charissimas in manibus quasi tenemus, per mortem nobis excidunt: hinc nos excitari et vigilare nobis studiosius debemus.

II. In processione primo, exponebatur corpus

defuncti in publico loco ad spectaculum omnibus intueri volentibus. Et hoc ut intuentes mortis admoneretur. Id petiit sibi fieri a filio S. Pelagia, apud Greg. Tur. l. de glor. conf. c. CIV. similiter Maximilianus I. imper. jussit ut quando inter vivos esse desiisset, cadaver suum omnibus hominibus etiam infimæ sortis conspiciendum proponeretur causamque addens: *Væ ita, aiebat, vel meo exemplo discant omnes, nulla diademata, opes nullas, nec ulla imperia a morte eripere possidentem*, Reinhard. Hadamar. in instit. principum.

Secundo, vestes mutantur a propinquis defuncti maxime, et nigrae induuntur, ut luctum de amici obitu testentur, cujus anima ad regionem migravit nobis ignotam; et quod una cum illo mundi etiam deliciae ipsis mortuæ sint.

Tertio, crux præfertur, ut indicetur, mortuum sub hoc vexillo dum viveret, militasse Christo. Tesseram ergo militarem præferimus, ac simul Christum ducem admonemus, uti militem suum præmiare et meritorum crucis participem facere velit.

Quarto, gestantur prope corpus lumina et cerei accensi. Uti factum in tumulatione B. V. Mariæ, scribit Niceph. l. II. c. XXII. et in funere Constantini M. Euseb. l. IV. de vita Const. c. LXVI. Idem fieri præcipit S. Athanasius apud Damasc. l. de mort. suffrag. Fit hoc primo, ut indicetur defunctos secundum animam vivere et fuisse filios lucis, adeoque lucerna ardente fidei vivæ Christo obviare. Item ut significetur eos lumen fidei in baptismo acceptum ad finem usque vitæ conservasse. S. Chrys. hom. XIV. in I. ep. ad Tim. hac de re ait: « Quid ardentes, quæso, lampades sibi volunt? Nonne tamquam athletas eos comitamur? » Sic ille.

Quinto, psalmi et hymni accinuntur voce lugubri: quem ritum etiam legere est in S. Dionys. de eccl. hierarch. c. VII. Primo, ad luctum temperandum; siquidem Christianos non oportet contristari in morte charorum, sicut solebant facere gentiles, qui genas sibi lacerabant, et capillos evellebant. Ait enim apostolus: *Nolite contristari sicut et cæteri, qui spem non habent, etc.* et S. Chrys. hom. de SS. Bernice et Prodoce: « Mors, inquit, est requies quædam, laborum finis, sudorumque retributio ac certaminum præmium et corona. Propterea principio quidem super mortuos planctus et lamentationes fiebant, nunc autem psalmi, cantus hymnorum, etc. » Secundo, ut defunctus honoretur discedens, quemadmodum scribit idem Chrysost. LXX. ad pop. Antioch. Quia enim bene speramus victorem ingredi in cœlum cum symphonia angelo-

rum, carmen et triumphale accinimus, simulque Deum laudamus, quod defuncto dederit in fide perseverantiam et felicem finem: *Quanam de causa, inquit Chrys. hom. cit. quæso presbyteros vocas et psallentes? Nonne ut te consolentur? Nonne ut defunctum honorent?*

Sexto, campanæ pulsantur primo, ut fideles admoneantur ad præstanda charitatis officia et bene precandum defuncto, prout etiam fit; nam plerumque audito tali campanæ pulsu, minimum in has voces catholici erumpunt: *Deus sit illi propitius*; vel: *Deus det illi æternam requiem*. Unde sonitus ille vox defuncti est, invocantis vivos in auxilium. Pulsantur etiam mox, cum quis expiravit: quia tunc anima defuncti subit diem suum judiciale, et accipit extremam immutabilemque sententiam vitæ aut mortis: ut ita pro ea Deum judicem interpellemus. Secundo, ut hoc sonitu recordemur tubæ illius ultimæ, quæ mortuos e sepulcris evocatura est ad judicium, sicut isto nunc sonitu evocatur corpus e domo ad sepulcrum.

Septimo, turba hominum funus comitatur, uti Luc. VII. legitur, et apud S. Hieronymum de funere S. Paulæ, in epistola ad Eustoch. et de funere Fabiolæ, in epist. ad Oceanum. Ad funus S. Martini conflueret monachorum duo millia, et inter alios adfuit divinitus S. Ambrosius, corpore Mediolani existens, teste Sulpitio, in epist. ad Bassulam, de vita S. Martini. Primo, ut defunctum honorent, quo modo ss. angeli comitantur animas justorum in cœlum, uti de Lazaro legimus. Si enim animam deducunt angeli, decet uti nos deducamus corpus. Secundo, ut seipsos mortalitatis suæ admoneant, dicantque: *Hodie tibi, cras mihi*. Quamquam talis cogitatio sæpe cito evanescit, ut advertit S. Augustinus, serm. CXX. de diversis. « Cum efferuntur mortui, inquit, cogitatur mors et dicitur: *Væ misero, talis fuit, heri ambulabat, aut ante septem dies illum vidi: illud atque illud mecum locutus est: nihil est homo. Murmurant ista; sed forte cum mortuus plangitur, cum funus curatur, cum exequiæ præparantur, cum effertur, cum itur, cum sepelitur, viget iste sermo. Sepulto autem mortuo, etiam talis cogitatio sepelitur. Redeunt illæ curæ mortiferæ, etc.* » et l. X. hom. XXVIII. « Quotidie moriuntur homines, et qui vivunt, deducunt illos, exequias celebrant, et vitam sibi promittunt. Nemo dicit: *Corrigam me, ne cras hoc sim, quod iste, quem deduxi.* » Sic ille.

III. Post deductionem funeris. Primo, thura sacra incensantur et aspergitur aqua benedicta defunctus et sepulcrum. Primo, ut dæmones fugentur, ne mortuorum cordora et tumulos in-